

7.
O R A T I O
SCIP. GENTILIS
I. C. ET PROFESSORIS,

Habita in funere

HUGONIS DONELLI V. CL.
I. C. principis.

I T E M

Aliorum varia carmina, eiusdem gloriae
consecrata.

Θυμὲ Βλέψου ἄνω.

*Sursum oculos, mea mens, harum obliviscere rerum,
Neu caro te fallax in sua vota trahat.*

*Et brevis hac vita est, & felicissima somni
Instar habet: nec sic omnibus una fluit.*

*Solius vita pura fors integra, constans
Certaq;, & hac demum semita tuta via est.*

Hugo Donellus Altorfii IX. Sept. Anno cdo Id. xci.



ALTORFII,
TYPIS CHRISTOPHORI LOCHNERI, ET
IOHANNIS HOFMANNI, TYPO-
graphorum Academicorum.

ANNO cdo Id. xci.

SCIP. GENTILIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS

16. BT. PROFESSORIS



ERVDITO LE-
CTORI S.



HNIUS olim: Nemo me lacrymis deco-
ret, nec funera fletu
Faxit. cur? voluto vivus per ora virum.
*At longè nos id rectius de nostro HV-
GONE DONELLO, qui non quidem, ut
Romanus iste Poëta, carmen aliquod procudit,
in quo aeternum vivat: sed (grandius opus) Juris-
prudentiam, rerum humanarum moderatricem scien-
tiam, in eum ordinem redegit, ut doctis plerisque omni-
bus, Mens illa Anaxagoræ, ab Aristotele sæpè lau-
data, nunc denique indigesto chao affulsisse videatur.
In eo igitur sine dubio immortalis opere, vivus voli-
tabit per ora virum. Sed & in Academia nostra,
tametsi triennium tantum in illa vixit, ea impressit
meritorum suorum, quòquò te veritas, clara vesti-*

gia, ut omnes sequentes anni memoriam eius gratâ recordatione sint excepturi. In omni enim officio, præter summam doctrinam cum summa eloquentia conjunctam, constans erat & religiosus. In collegas, humanus: in cives, facilius in advenas, hospitalis: in auditores, fidelis: in tennes benignus: elegans, non magnificus: Modicus, non sumtuosus. Denique in omni consuetudine, commodus & moderatus: ut communi voce vetus illud Boni viri elogium tulerit: Profuit omnibus: Nocuit nemini. Quamvis igitur Ennianum illud jure de tanto Heroë usurpare possemus: nolimus tamen, quæ ab optimis & doctissimis hominibus (tales enim talium virorum interitu, tanquam luminum quorundam extinctione, graviter commoveri solent) in eius memoriam scripta sunt, vel ut ingrati, vel ut rerum humanarum ignari, suppressere. Ea tu, lector benevole, æquo & constanti animo lege: simulq; illud cogita, Aristotelem morientem scholæ suæ præfecisse successorem, germanum discipulum, philosophum maximum, Theophrastum: hunc verò nostrum Jurisprudentiæ Aristotelem, reliquisse quoq; Academiæ, veros aliquot disciplinæ suæ alumnos, disputatores elegantes & assiduos, professoresq; omni laude cu-

de cumulatos : ac jam nunc in expectatione quoque
esse successorem in locum DONELLI nostri, qui Iu-
ris disciplina maximam opem his temporibus af-
ferre possit. Ut enim veram philosophiam omni-
bus partibus apud nos disputando & docendo quo-
tidie tractari volumus : ita summo quoque studio
enitemur & enitemur, ut Jurisprudentia
etiam sincera in schola nostra, verum
suum decus assequatur &
retineat. Vale.



A 3

RECTOR



RECTOR ACADEMIAE
ALDORFINAE,

EDO HVLDERICVS SS. THEOLO-
GIAE D. ET PROFESSOR.

QUOD sapientissimus sanctissimusq; rex & Propheta David Psalmo 4 dixit, cum inquit: *mirabiliter regit Dominus sanctum suum,* id quoq; verè de clarissimo viro Hugone Donello Iuriconsulto natione Gallo dici posse existimamus. Huius enim viri totius vitæ curriculum Dominus in maximis periculis mirabiliter gubernavit. Is enim etsi Biturigibus & Aureliæ summa cum laude, & maximo auditorum fructu Iura publicè est professus: tamen quo magis in hoc genere studii excelluit, hoc magis ob amorem veræ religionis pontificiis in regno Galliaë fuit invisus, adeò, ut & eius nomen tandem fuerit inter nomina eorum, qui superioribus annis, tempore regiarum nuptiarum passim per Galliam ob religionem à pontificiis crudelissimè fuerunt interfecti, sicut ob eandem causam tunc etiam interfectus fuit *Petrus Ramus* vir doctissimus. Sed Dominus qui potest periculis, quos vult, eripere, illo tempore singulari sua ope Doctorem Donellum,

lum, cum à militibus ad cædem quæreretur, mirabiliter protexit & conservavit.

Nam fideli opera & felici ductu quorundam nobilium & piorum Iuvenum Germanorum suorum discipulorum, qui studiorum causâ tum in Gallia vixerant, salvus atque incolumis in Germaniam venit, spoliatus omnibus, quæ in Gallia habuit, bonis. Ab eo tempore semper mansit in Germania. Primùm enim aliquot annos in inçlyta Academia Heidelbergensi sub optimis & laudatissimis Principibus Domino Friderico tertio, eius filio Domino Ludovico Ius civile cum auditorum maximâ admiratione & utilitate publicè docuit. Deinde ex Academia Heidelbergensi, cū haberet legitimam vocationem, & discedendi graves causas, profectus est in celeberrimam Batavorû Lugdunensium Academiam, ubi quoque per aliquot annos fidelissimè & dexterrimè Ius est professus. Postremò relictâ inferiori Germaniâ venit in hanc Altorphanam Noribergensium Academiam. Ob ingenii enim præstantiam, doctrinæ varietatem, Iuris peritiam, eloquentiæ donum, morum gravitatem & pietatis amorem, inçlyto Reipub. Noribergensis Senatui ita fuit commendatus, ut is eundem quàm dignissimum iudicaret, quem liberalissimo stipendio proposito ad Iuris publicam professionem, in suam Academiam vocaret. Qui vocationem acceptans & huc veniens clarissimâ nominis sui famâ quàm plurimos Iuris studiosos in hanc Academiam attraxit, eorumq; multos solidæ eruditionis cupidos suâ incredibili docendî dexteritate hîc retinuit. Quod progressu temporis, si ei longior vi-

ta con-

ta contigisset, magis magisque effecisset. Sed proh dolor, huius tanta viri sapientiâ, virtute, & felicissimâ docendi operâ vix per triennium huic Academiae uti licuit, utinam diutius eâ frui licuisset! Sed aliter Deo visum fuit, qui eum ad se in vera agnitione Domini nostri IESU CHRISTI die 4. Maij quadrante ferè horæ ante meridiem ex hac vita evocavit, sicuti studiosi Iuvenes, & alij viri docti, qui familiariter cum eo sunt conversati, testatû faciunt, dicentes, eundem huiusmodi dicta Scripturæ semper in corde atq; ore habuisse: *Sive vivimus, sive morimur, sumus Domini: Qui habet filiû, habet vitam: Beati mortui qui in Domino moriuntur: Iustorum anima in manu DEI sunt: Cupio dissolvi & esse cum CHRISTO: Hodie tecum eris in Paradiso.* Huius igitur viri memoriam grati conservemus, eiusq; pietatem & virtutem, quantum possumus, imitemur, Cui hodiè primâ horâ pomeridianâ funus fiet. Adhortor igitur omnes studiosos Iuvenes & adolescentes, cuiuscunq; fuerint conditionis, ordinis, ut ad signum campanæ ante dictam horam in templo conveniant, & inde egressi quâ decet modestiâ & pietate funus in templum ducendum comitentur, atque hunc ultimum honorem Clarissimo viro piè defuncto, non minus piè præstent. P.P. die 7. Maij, ANNO
CL L XCI.

SCIPI



SCIPIONIS GENTILIS
ORATIO,
HABITA IN FVNE-
RE HVG. DONELLI VI-
RI ET I.C. SVMML.

IN ACADEMIA NORICA ALTORFII.



*I quis est hominibus rerum humana-
rum post mortem relictus sensus, dubi-
tandum non est, Magnifice Rector, Il-
lustres, ac Generosissimi Comites, Cla-
rissimi viri, nobilissimi Ornatissimiq³ auditores:
dubitandum, inquam, non est, quin sanctissimus
Hugonis Donelli, & felicissimus animus exequia-
rum illa pompa sanè perhonorifica, atq² hoc extremo
officio vestro mirificè delectetur. Dolere, mæerere,
angi, in squallore luctuq³ versari, afflicari, hæc verò
tristissima sunt, & abhorrent à natura: sed & hæc
ipsa tamen, ut opinor, non ingrata sunt iis, quorum*

B

desi-

desiderium, siue mors aut calamitas, ad ea nos movet, abijcitque. Amari enim sese, atque in pretio haberi à nobis ea ratione sentiunt: idque pulcrum est, imò, si verum fatemur, id humanum piisque est. Laudatur à M. Tullio magis, quàm Solonis, illa Ennii oratio, interdicens ne se quisquam lachrimis decoret, neu fletu funus sibi faciat: Nam volito, inquit, vivus per ora virum. Atqui si hac ratio valeat, nemo ipso Donello justius ea uti potuisset: cuius vita ac gloria, ut cum Lucretio dicam,

Æternis famæ monumentis insita floret.

Sed longè aliud cum ipsa parens natura nos docuit, tum sapientissimorum hominum exempla atque instituta nos facere jubent, etiam Christianorum. Me quidem iuvat non solum dolere atque angere: verum etiam publicè apud vos testari, tristitiam meam lessumque edere, non oris ac vocis illum, quidem, quem & recta ratio, & lex XII. Tabul. vetuit: sed hunc animi arcanum neque fictum. Doleo enim, doleo, vehementissimeque commoveor huius viri, matura ipsi fortasse, huic certè Academia atque bonis omnibus acerbissima, luctuosissimaque morte. Nihil ne amplius? doleo, inquam, eius viri
morte,

morte, qui me veluti filium amavit complexusque est arctissimè: & quem ego vicissim & propter illam charitatem in me plurimum dilexi, & propter doctrinam animique singulares virtutes, semper colui, veneratusque fui. Sed hac posterior causa ferè mihi cum cæteris communis est: illa, quam dixi, amoris & charitatis non aequè. Qua res etiam fecit, ut hunc locum hodiè ascenderem, in tanto doctissimorum, & disertissimorum hominum numero: iisque sedentibus solus verba facere auderem. Movit me præterea laudatissimus ille mos Romanorum, apud quos in præstantium virorum funeribus ii defunctos laudare pro Rostris solebant, iique a versi facem rogo admoveere primi, qui defunctis chariores conjunctioresque fuerant, non semper qui facultate dicendi, aut ætate præ cæteris antecellebant. Itaque in veterum historiis adolescentulos legimus orationes funebres habuisse perelegantes. Sed tribuatur hoc sanè Romanorum divinis & ad omnes res præclaras natis, atque exaggeratis ingeniis: nobis autem, qui præ illis homilli sumus ignoscendum profectò est: si vices tantum pietatis, non etiam laudationis, cui imparem me hoc tempore fateor, HV-

GONI DONELLO exsolvero. Si aliquid plusculum temporis, imò ocii habuissem: conatus fuissē & in hac parte non nihil. Sed DEVM immortalem testor, cum primum animus à luctu paululum conquieuit, hujus rei, quam nunc ago, meditationi aliquot horas pauculas duntaxat impendisse. Quod ipse orationis meæ sermo facile vobis probat, non per ambitionem cultus, sed effusus per dolorem. Cujus verba sæpè libera audiui ac legi, perrarò ornata.

Natus est HUGO DONELLVS (ejus enim de vita nonnulla, quæ ex ipsius familiaribus sermonibus à me hausta & servata sunt, commemorare mihi proposui) in urbe splendida apud Burgundiones Gallici nominis, quam vernacula lingua Chalon, Latini Cabillonem appellant. Alia est eodem nomine urbs in contigua regione, quæ Campania vocatur. Itaque noster hic, heu non amplius noster, origine Gallicana fuit. Quod ego illi, ut initium vitæ, sic gloriæ puto. Neque enim sapiens quisquam unquam inficias ibit, terræ ac regionis cujusque ingenium non modò in corporibus magnam vim, sed etiam in animis habere solere eorum qui ibi nascuntur. Cum autem innumera propè sint de Gallia ter-
ræ lau-

ra laudibus apud omnes scriptores testimonia, tum
me in primis delectare solita est M. Catonis illa sen-
tentia, quam ex libris originum, vetus Gramma-
ticus refert: Pleraque Gallia, inquit, duas res indu-
striosissimè persequitur, rem militarem & argutè lo-
qui. Taceo nunc de laude militari, qua semper in
ea gente fuit illustrissima. Illud argutè loqui to-
tum ad ingeniorum bonitatem atque praestantiam
referendum censeo. Neque enim argutè loqui quis-
quam possit, cui ingenium deest, & vis illa animi,
quam Aristoteles in Dialecticis ἀκρίβεια, Cicero, (ut
opinor) celeres animi motus appellat. Quare nul-
lam gentem Gallis praestitisse, propè est, ut mihi qui-
dem persuadeam. Non longe abiverim: hinc
profectò est, quod à primis illis usque temporibus,
cum Ius civile in Italia, sed hominum Germano-
rum beneficio, post multa secula, quibus latuerat,
denuò è tenebris situque emergeret, plurimique
ad id illustrandum operas suas certatim confer-
rent, Gallorum tamen in eo sic enituit industria, ut
facile apud Italos cognomina illa sibi Acutorum &
Subtilium repererint, ac deinceps veluti heredita-
ria suis posteris reliquerint. Quam laudem, à ma-
joribus

joribus acceptam, noster imprimis DONELLVS amplio-
riorem clarioremque reddidit. Parentem habuit
Regiis præfecturis, atque aliis ornamentis domi mi-
litiæque nobilem. Ab eo in ludum missus, magno a-
more complecti literarum studia cœpit: quem ta-
men amorem præceptoris nimia sævitia semel ex-
tinxerat, nisi parentis ingenio atque astu revoca-
tus fuisset. Fœdis modis eum laceraverat præceptor
(ut plagosi isti plerunque Orbilii solent) qua de cau-
sa à literis planè abalienatus, nullis minis, aut blan-
ditiis adduci unquam potuit, ad eas redire ut vel-
let. Fortè accidit, ut parens ejus per transeuntem il-
lâc pastorem suarium cerneret: quo ad se vocato
coram filio rogare institit, ecquid pueri aliquo ad-
ministrato vel famulo opus haberet? esse sibi domi fi-
lium, quem ei tradere ac mancipare cuperet, aver-
sum à literis, inconditum, immorigerum. Ea voce
adeò præter conterritus est, cum rem seriò agi existi-
maret, ut parentis genibus advolutus ac flens eum
obtestaretur, sibi ut parceret, néve se filium suum
in eas sordes projiceret: velle se literis deinceps ope-
ram studiose dare. Cum jam robustiori atate esset,
Juris Civilis disciplinam aggressus est, in qua brevi

eos profectus fecit, ut uberioris cultura capeffenda gratiâ in remotiffimas quasque totius Galliae Aca- demias ablegaretur. Tolofa Ius Civile profiteban- tur Io. Corafius & Arnoldus Ferrerius, tanto ad- plaufu & auditorum concurfu, ut ad quatuor mil- lia eorum numerum exceffiffe Donellus mihi idem, ipfe adfeveraverit. Verum cum illorum docendi ratio ei non admodum probaretur, inde fe Bituri- gas contulit, quo in loco Iuris Civilis clariffima illa lumina florebant, Equinarius Baro, & Francifcus Duarenus. Hos diligere & admirari ftatim Do- nellus cœpit, in eorumque amicitiam fe fe infinavit, perfecitq³, ut mutuò ab illis diligeretur. Duarenus in primis ejus eximiâ indole perfpectâ, eruditione etiam fupra vulgus ftudioforum, indies fibi eum majoribus officiis devinciendum exiftimavit. Cu- jus viri Donellus opinionem de fe non fefellit, fed fu- peravit. Quo factum eft, ut eodem anno Doctora- tus in fignibus tituloque publicè à Duareno ornare- tur, cujus extat inter ejus pofthumos libros de Do- nellilaudibus, habita eo tempore oratio, & à Ma- giftratu Urbis magnoque illo Hospitalio digniffi- mus judicaretur, qui in Collegium Antecessorum
Amplif

Amplissimum cooptaretur. Quare Ius Civile publico stipendio magnaue ingenii gloria profiteri cœpit, etiam adolescens: quippe qui vigesimum quartum ætatis annum supergressus nondum esset. Vigebant aliquando inter Duarenũ & Baronem non parvæ similitates, ut fieri plerunque inter magnos consuevit, gloria, quàm amicitia cupidiores. Baro, quo studia partium retineret, Donellum sibi ferè obligaverat, cum aliis blandimentis, tum simulatione religionis purioris, quam in Gallia reformatam etiam tùm vocabant: sæpè ac multum monente Duareno, ne fidem ei accommodaret. Quoniam de religione sermo incidit, rectè facturum mihi videor, si hoc loco vobis exposuero, quæ ratione primum Donellus ad veram pietatis cognitionem olim pervenerit. Sororem antea habuerat, virginem piissimam, natu paulo, quàm ipse esset, grandiozem. Ea in animo fratris adolescentuli religionis sincera fundamenta princeps jecit, libellos quosdam pios, quibus illa delectabatur, lingua vernacula scriptos ei suppeditando clanculum. Quorum lectione adeò tactus is fuit, ut majori deinceps cupiditate inflammatus, studiosè Latina quoque no-

strorum

strorum Theologorum scripta conquireret, avidif-
 simeque legeret. Sæpè tamen dubitans ac restitans,
 interdum etiam Monacho cuidam fido sese, veluti
 contaminatum & obligatum scelere purgans, eò
 tandem devenit, ut planè amorè veri caperetur.
 Neque enim subitò & levitate quadam desultoria
 paterna superstitione abjecta, ad veram hanc, &
 in Galliis inter media supplicia efflorescentem reli-
 gionem convolavit. Ut herbas & plantas cresce-
 re non videmus, sed crevisse: sic religionis & pieta-
 tis semina. Rectè etiam & ingeniosè M. VVesem-
 becius (quem honoris causà nomino) dicere solebat,
 religionis cognitionem suam Alluvioni similem fu-
 isse. Ita igitur Donellus ab adolescentia pietatem,
 veram complexus, in ea constantissimè deinceps ad
 extremum usq; vitæ momentum perseveravit. Bi-
 turigibus præter illos, quos antè sæpè nominavi, Ba-
 ronem & Duarenum, collegas habuit etiam Fr.
 Hottomannum & I. Cujacium: at quanta nomi-
 na? Duarenum tamen præ cæteris semper dilexit
 ac coluit. Aegrotanti & morienti assiduus adfuit,
 sermonesque illi multos instillavit veræ pietatis, nec
 sine fructu, ut ab ipso accepi: aiebat enim, Duare-

num in lectulo, cui morbus eum adfixerat, sepius exclamasse, veniamque à DEO Opt. Max. petivisse, quòd non maturius iis sese accomodavisset, non minus piis, quàm amicis sermonibus. A Cujacio non tam doctrinà, quàm religione ab illo sepe simulatà & dissimulatà, moribusq; dissensit: postremò etiam nonnunquam Juris opinionibus, ut non mehercule Proculus à Sabino magis. Hottomanum autem perpetuò amavit, quem etiam amicum suum appellat in Commentariis, quos in titulum, D. de reb. credit. reliquit sanè luculentos. Atque hæc sunt auditores, quæ de Donelli vita in Galliis transacta percepi. Nunc eum in Germaniam oratione nostra deducamus. Nemo vestrum est qui de infami illa Carnificina Parisiensi in religionis nostræ homines adita non audiverit.

Audiit (enim) & si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quattuor in medio dirimit plaga solis iniqui.

In ea laniena ac strage, quæ eodem momento per omnes Gallia regiones urbesque pervagata est, deprehensus hic noster fuit Biturigibus. Quanto illè tum in discrimine versatus sit, quid opus est verbis expone-

exponere? Illud potius commemorabo, quod ad vestra gentis immortale decus pertinet: nam quod evasit ex latronum manibus, quod vixit, quod tot volumina immortalitate dignissima composuit, id totum post DEVM Germanis aliquot studiosis tribuendum est. Illi praeceptorem suum repentino casu perculsum cum pro animorum generositate, sibi non deserendum putarent, eum Germanica veste, amictum, quò latere sicarios posset, atq; in medium receptum ex urbe infestissima eduxerunt, quidvis parati subire potius, quàm eum deserere. Hoc loco mihi liceat fortissimis & Donelli sospitatoribus adclamare Ennii illum de Romanis versum:

Optima cum pulcris animis Germana Iuventus,
 Hoc modo e ductus Biturigibus deinceps eodem habitu
 Lugdunum usque, si benè memini, incolumis evasit:
 relictisque à tergo truculentissimis Gallis procellis
 Genevam se tanquam in tutissimum portum tandem recepit.
 Superiori anno, cum legatus Regius, Dominus Sanceus, vir heroici animi in hanc urbem venisset, memini Donellum ei in arce commemorare,
 quemadmodum in Gallia à Papis sicariis in itinere captus atque in arcem quan-

dam abductus fuerit, ibique cum ignoraretur quisnam esset, habitum se tamen *Et* objurgatum fuisse dicebat, tanquam Hugonottum (sic in Gallia Christianos vocant) quod in sermonibus suis nunquam auditus fuisset dejerare: hac enim nota solebant, atque etiam nunc solent in Gallia nostros à suis Papiſta sæpè discernere. Geneva cum diutulè substitisset, in Germaniam deinde venit: Heidelbergam accersitus ab illustrissimo Principe Friderico III. Electore, piissimæ laudatissimæq; memoria. Ubi aliquot annos principem locum in Jure civili profitendo tenuit, Exemplumque omnibus religionis, integritatis, atque candoris nullis malis artibus nullaque malevolentia infuscati, præbuit. Defuncto Friderico, erat tunc temporis Academia Rector Donnellus. Qua etiam de causa multum molestiarum sustinuit, periculi nonnihil: vocatus sæpius in Aulam, cum se nihil proficere propter crebras interpellationes videret, oratione mutatâ Gallicè loqui cœpit, Principique se Clementissimo purgavit. Simile exemplum memini in historia Italica legere Ludovici Sfortia Mediolanensium Principis. is enim cum coram Imperatore Carolo V. qui tunc Bononia

erat,

erat, objecta crimina diluere supplex conaretur, interturbante sapius Hispano, nescio quo (Antonium de Leva fuisse arbitror) & quasi redarguente, ille repente Germanico Idiomate uti cœpit, atque ita importuno illi interpellatori os obturasse dicitur. Facta est ab Illustrissimo Principe manendi, & in munere suo pergendi Donello potestas: sed frustra. In Belgium unâ cum conjugè, matrona lectissima, quæ nunc misera doloribus ac mæstitiâ debilitata planè jacet, profectus est. Instituerant per ea tempora Hollandi Academiam Leidæ, in Urbe ampla & lauta. Ad quam ornandam & quasi extruendam vocatus statim fuit Donellus, procurante & adjuvante fortissimo illo, sapientissimoq; Wilhelmo Nassavio, Auræicæ Principe. Et jam in eo loco docebat I. Lipsius vir florentissimus. Horum duorum fama atq; auspiciis dici vix potest, quàm brevi Leidensis Academia adoleverit confluenta undique ex omnibus oris Juventute. Hoc loco in Donelli noticiam ego quoque perveni, mox etiam in familiaritatem. Fuit enim, ut nostis, ad amandum valdè pronus ac benignus: nec quemquam ego hominem magis liberum apertumque cognovi. Qua-

re factum est ut odiis nonnunquam & offensionibus patuerit, ignarus simulandi. Turbae erant Leida, & in omni Hollandia turbulentissima, nec minores, quam in proximo Oceano, fluctus. His ablati ac penè absorptus Donellus fuit, aliique summi viri quos in diversas oras ea tempestas disjecit, quosdam & merisit. Donellus in Germaniam, quam antea veluti parentem benignam expertus erat, cursum direxit, eamque longo post intervallo (nam octo, ut opinor, annos in Hollandia fuit) cupidè tanquam regustavit. Vix pedem in ea posuerat, cum Amplissimus Noribergensis Senatus eum liberalissimè Altorfium invitavit: cui Academia jam pridem illum fata debebant. Nam ante aliquot annos eidem Senatui operam suam addixerat. Sed interventione Auriaci Principis, fide eum & sponsione liberantibus Noricis, in Hollandia restitit, stipendioque auctus est. Interea quem adfectum erga nobilissimum illum Senatum diu inclusum animo gesserat, oblatione libri commentariorum in praecipuos quosdam Iustiniani Cod. titulos prolixè testatus est, quem eiusdem affectum vehementer in eo postea auxit, dum hic fuit, praestantissimorum in ea Rep.

viro-

virorum in eum charitas perpetuaq³ munificentia, adeò ut mihi sæpè dicere solitus fuerit, Videri sibi Noribergenses dominos consecutos difficilimam illam societatem humanitatis cum gravitate. Maacte gloria & laudibus istis Senatus Amplissime! Tot honoribus ac beneficiis magis magisque incitatus Academiam hanc tenerrimè complexus est, atque ornavit, perfecitq³ ut brevissimo tempore celebritate nominis inter vetustissimas Germania Academi- as recens ipsa assurgeret. Vetus sententia est, ubi Imperator est, ibi & Romam esse. Non injustè ego quoq³ dixero: ubi Donellus vixit, cujus nunc mihi loquenti facies, & os illud verè generosum ac probum ante oculos obversatur: ubi, inquam, vir ille vixit, eodem in loco simul Iurisprudencia celebritasq³ versata est. Ut reliqua ornamenta ac monumenta sileam, quantum hoc est, quod Commentarios illos de Iure Civili in hac Academia expolire, & in lucem emittere cœpit! De quibus ita sentio, & vos pariter omnes mecum, nihil Reip. literaria adeoq³ communibus omnium utilitatibus accommodatius, nihil perfectius ab ullo homine in veniri potuisse.

Quod ille opus si absolvisset, ut facturus brevi videba-

videbatur, ne infinitis molestiis, ac tot librorum, coëmendorū sumtibus Iuris Civilis studiosos sublevasset. Adeò omnia vir ille ornatè, ac distinctè veluti regionibus descripta disposuerat, novâ quadâ, sed natura tamen ac rationi convenientissimâ methodo usus. Lucem nimirum illam artemque huc adtulerat, propter quam tantopere Serv. Sulpitium Cicero commendavit. Quam artem qui spernunt, nec aliam requirunt, quàm quæ à Iustiniano, vel, ut longius eat, à Salvio Iuliano adhibita est: imprudenter admodum, ne dicam malignè, in ea re facere mihi videntur, quos ipse etiam initio tam excellentis operis proluxa & lacertosa oratione confutavit: aggressusq; est magno animo opus arduum & summis viris antea sæpè tentatū. Hoc enim, ut reliquos nunc taceam, egisse Romanos illos civitatis principes legimus, P. Crassum, Cn. Pompeium, C. Casarem, M. Tullium Ciceronem, cujus ex libris de jure civili in artem redigendo exstat apud Gellium nobile de Aelio Tuberone testimonium, philosopho Stoico & IC. gravissimo. Omnes autem quo minus id perficere potuerint, vel mors impedivit, vel iniqua Reip. tempora, aliq; occupationes averterunt. Donnellum

nellum quidem ipsum in medio cursu incitatum & festinantem, injecta manu mors stitit ac repressit, Cum eo animi robore adhuc esset, ut morti sua superstes dici mereatur, quia nunquam ne presentem, quidem eam expaverit. Scilicet hoc robur illi non corporis vires, quas & contumacissimus morbus, & ætas planè jam fregerant: sed pietas in DEVM & fiducia inconcussa addebant. Equidem à fletu vix tempero, cum cogito illum diem, qui proximus ab novissimo fuit. Aderam illi gravissimè anhelanti tacitus ac mœrens: sed cum discederem, eumque nomine compellans adjecissem hæc verba: Non in hoc mundo neque in hoc corpore salus nostra est, sed in Domino nostro JESU CHRISTO: ille his verbis vehementer recreatus, sæpius illud iteravit: CHRITVS fidus, fidus. tametsi propter tumorem & ulcus impedita illi peneque obsepta vox erat. O acerbissimum diem, & nullo unquam tempore ex animo meo delendum! Tua, senex sanctissime, cælo recepta mens, unde in hæc loca descenderat, immortalis gaudio nunc fruitur, sentitque tandem verissimum esse, quod cum in his terris versareris, perpetuò non modo in ore habuisti, sed etiam in omnium libellis in-

D

scripsisti:

scripsisti: Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus, Domino vivendum & moriendum est. Tibi itaque gratulamur, nobis dolemus: non est enim, non est leve hoc vulnus, quod tuo isto discessu accepimus: ipsa viscera penetravit. Tu parens, tu rector, tu decus omne nostrum, siccine à nobis abivisti? nunquàmne amplius vultum illū tuum aspiciam? nunquàmne posthac licebit dexteram illam humanissimam amplecti tuam? & notas audire ac reddere voces? Genius meherclè hujus Academia tecum contumultus mihi videtur, adeò non solum homines, sed ipsi parietes, & hæc subsellia, & hic per te augustus redditus dicendi locus lugere, & miserari suum casum videntur, Eo justius, quod nulla sic aliunde spes affulgeat acceptæ jacturæ penitus resarciendæ. Tanta est, paucissimis his, non dicam, annis, sed mensibus præstantium ingeniorum consecuta strages, ac veluti vastitas, quam ego mecum dum reputo, verè dixisse quosdam sapientes animadverto, ut ceterarum rerum, sic morum & ingeniorum esse quendam veluti orbem sive circulum penè fatalem. Mitto reliquos, ne dolorem vestrū exasperare velle videar. Tres duntaxat nominabo Iurisconsultos, eosque Gallos:

Gallos : Fr. Hottomannum, Jacob. Cujacium, Hug. Donellum. Hos tales viros, quorum fama omnes Europa regiones penitissimè pervasit, mors brevi tempore extinxit, sicut gradus quosdam atque intervalla aequalia temporum & locorum in eis extinguendis ab ea fuisse servata existimari possit. Nam Fr. Hottomannus, quem ego pariter ac Donellum in ipso penè extremo articulo vitæ vidi, Basileæ mortem obiit, vir, ut scitis, omni genere literarum, atque omni laude abundantissimus. Iacobum, verò Cujacium, superioribus nundinis Francofurtensibus, à typographis Gallis certò nunciatum est Biturigibus, in qua Academia, veluti in suo regno, diutissimè vixerat, mœrore animi magis, quam morbo confectum extinctumque esse. Cujus de viri laudibus, ut de Carthagine olim Salustius, silere satius puto, quàm pauca dicere. Postremò verò, proh dolor, hîc, hîc

*Ipse Donellus obît decurso lumine vitæ,
Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstinxit stellas, exortus uti æthereus sol.*

*Reputate nunc cum animis vestris, Auditores,
quibus in tenebris, tribus his luminibus extinctis,*

nos versari necesse sit: quanto opere q̄ nobis atque huic
 seculo timendum sit, ne jam verè de præstantibus vi-
 ris ac Iurisconsultis dici posse incipiat, VIXERVNT.
 At ego te summe DEVS, cum hac corona nobilissima
 supplex adoro ac veneror, ut hanc calamitatem à
 nobis arceas, atque hanc ignominiam à nostro secu-
 lo depellas procul, ut in eo præstantes viros ac Iuris-
 consultos vivere desuisse posteritas nostra, si qua fu-
 tura est, autumet, ac loquatur. Magna sanè, ma-
 gna, nullisq̄ue propè antea seculis visitata, fuere illa
 beneficia, quæ in nostram hanc ætatem effuderat, ex-
 citatis tanquam classico innumeris per omnem Eu-
 ropam viris, qui omnia genera disciplinarum atq̄
 artium mirificè & illustraverunt & auxerunt: ut
 non immeritò seculum aureum nominari potuerit.
 at nunc ferreum esse incipit, & hebescere indies, per
 hæc calamitosissima, funestissimaq̄ bella, literarum
 veras & fatales pestes. Sed miserere: & huic in-
 primis Academia nostra placidus ac propitius sub-
 veni: juva, inquam, juva Senatus Noribergensis,
 quem tu omni tempore omnibus sapientiæ laudibus
 excellere atque inclytum esse voluisti, in ea consti-
 tuenda ardorem conatusq̄ præclaros. De quibus

ita nunc ominari placet & fas est, te nostris precibus votisque annuente, brevè futurum, ut hæc Academia à tanto vulnere refocillata, caput rursus attollere, optimarumque doctrinarum præsidia Reip. Ecclesiæque Christianæ perpetuò suppeditare possit. Dixi.



PSALMI SEXTI,

Quem D. HUGO DONELLVS sævo ac multiplici morbo implicatus pauculis ante mortem diebus sibi recitari iussit,


EPICA PARAPHRASIS,

à

SCIPIONE GENTILI eodem die scripta.

*PARce, precor, misero ô magni Pater atheris, ô rex,
Parce, nec infestus pœnas à fonte repose,
Quas merui, Sed me placidâ mitissime dextra
Erige, & hunc tristem depelle è corpore morbum.
Vita labat, totos dominatur languor in artus:
Et penitus sensus dolor immedicabilis urit:
Illaque vis animi, quæ sic in me ante vigeat,
Herba more virens, emarcuit. ô mea quando
Respicias mala tot, vultu placatus amico*

Omnipotens! merui illa quidem, non abnuo: nec te
 Crimina nulla meis, pater, avertère querelis.
 Sed tua me bonitas tamen has effundere voces,
 Hoc carmen lugubre jubet. Succurre precanti.
 Huc ades, ò celebrande. tuas num muta sonabit
 Mors laudes? tuave, in gelidà quis mole sepulchri
 Confitus eterno, cantabit numina, somno?
 Quis sacrum tibi tanget ebur? quis pollice chordas
 Impellet, facta alta DEI nomenque loquentes?
 Ipsa mihi est infesta dies: durique cubilis
 Strata natant noctu in lacrimarum flumine largo.
 Ac ceu deliquit radiis nix tacta diei,
 Sic mihi cor fletu, sic lumina contabescunt.
 Interdumq; acri flamma adcenduntur, & ira:
 Immanes si fortè hostes risuque jocique,
 Cernere contigerit, nostro insultare dolori.
 Quin vos ite procul turpes sæviq; latrones,
 Atq; isthinc properate gradum. namq; ipse querelas
 Ipse meas celsa cæli DEVS audiit arce:
 Nec spargenda dedit rapidis mea vota procellis.
 Concessit plura optatis. vos ite latrones,
 Ite procul, turpi conspurcati ora rubore,
 Et mihi victori pulchram concedite palmam.



GRATIARVM ACTIO, HABITA
ALTORFII ADEOS, QVI CLARISSIMI ET
INCOMPARABILIS VIRI D. D. HVGONIS DONELLI
sepulturam praesentia sua cohonestarunt in templo
oppidano hora. i. pomeridiana, die VII.
Maij, ANNO cLo Io xci.

à

M. MARTINO GEISLINGER DINCKELS-
BÜHELENSI ACADEMIÆ NOTARIO, ET A-
LVMNORVM INSPECTORE.

A MPLISSIMI & Nobilissimi viri, Magni-
fice Domine Rector, Illustris Comes, Do-
ctores clarissimi, Theologi reverendi,
Magistri & praeceptores honorandi, Juvenes Or-
natissimi, vosq; ceteri viri honestissimi ac humanis-
simi: Cum intelligam vos universos & singulos ob
mortem Clarissimi ac praestantissimi viri, D. D.
HVGONIS DONELLI in summo luctu & squalore
versari: mœroremq; vestrum vultu, suspiriis, lacry-
mis & lugubri vestitu declarare; conijcere mihi
haud est difficile, quàm altè dolenterq; vos tangat
tanti luminis occasus. Verùm cum non prorsus oc-
ciderit: Sed defunctus hujus vitæ malis, veluti ex
tenebris

tenebris ad ortū sempiternae lucis sese receperit, mittemus sanè animam ejus, quae sine omni controversia jam jam in Paradiso primitiis fruitur sempiterna laticia: nec gemitibus repetemus corpus, quod expectat diem plenissimi gaudii.

Interim mœstissima vidua, matrona honestissima, hunc extremum honorem Domino suo exhibitum in maximis officiis numerat: Et vobis immortales gratias, quòd non solum maritū suum charissimum tam honorificè sepelire: sed ipsam etiam mœrentem & in summo luctu jacentem studiosè solando erigere volueritis. Promittit vicissim omnibus & singulis gratæ mentis studia, quanta quidem à foemina expectari possunt & debent, obnixè rogans, ut se in posterum etiam vobis commendatam habeatis, Marito autem defuncto, amplè & honorificè sepulto supremum VALE dicatis.

Vale igitur, Beatissime Donelle, Academia nostra columna: profligator inscitiae: summum Jurisprudentiæ lumen & columen. Vale, inquam, vir incomparabilis: Et tu DEVS in defuncti locū parem, major cū non reperiat, substitue. Fac hoc, ò DEVS, propter nomen & justitiam tuam in CHRISTO JESU, Amen.

EPITAPHIA.

25



HEXASTICHON.

QVI Domini fuerat, cum viveret HUGO DONELLVS,

Hic etiam Domini, cum moreretur, erat.

Qui sua deposuit benè fido membra sepulchro:

Ut cæli melius carpere possit iter:

Et sua liber agat terrestribus ocia curis:

Dum putrefacta velit vivere membra DEVS.

Nicolaus Taurellus Med.D.



PAVLI MELISSI FRANCI

ODE

AD SCIP. GENTILEM IC. DE OBITU
HUGONIS DONELLI IC.

IVRIS peritos quattuor abstulit
Uno fera anno Parca; senes quidem,

Sed longiori messe dignos,

Et spatio diuturnioris

Ævi. Peremtum post Hotománniden

Minace leti cuspide, tragula

E

Cuia-

Cuiacium Amerbachiumque
 Transadigunt feriente ferro.
 Jamque heu DONELLI funera lugeo;
 Haurire vitæ exordia quem suas
 Arar Cabillonus propè undas,
 Et Rhodanus studiis honestis
 Turnone vidit primitus imbui.
 Docto receptum mox Biturix Lare
 Fovet, per insignique honore
 Et titulo Duarenus ornat.
 Illic docentem post Themis audit,
 Donec cruento sanguine Celtica
 Teda maderent, plurimisque
 Fata bonis celeraret atrox
 Infanda culter. Supplicio horrido
 Elapsum, abactis hospitium exteris
 Accepit Haidelberga; deinde
 Urbs Batavum cata Lugodunum;
 Altorphianum denique pulpitum,
 Hortante Gansam me Senioribus
 Præbente, tam magnum evocandi
 Rite virum, meritisque clarum:

Ubi

Ubi & libenter vixit, & arduis
 In explicando jure laboribus
 Vacavit, adsciscique ab urbe
 Te sibi præcipuè fidelem

Collegam amavit; nec tua non, gravis
 Et grandis auctor, scriptaque dictaque
 SCIPI probavit; vindicemque
 Pollicitus Themidos bonaque

Causæ, protervos lædere candidam
 Famam innocentum non odiis modò
 Est prosecutus, verum & istos
 Pestifero cane & angue pejus

Dirè exsecratus. Commemini, advenæ
 Nos cum fugatos ad Ligeris vadum,
 Sanserra monte excepset alto,
 Altera bella ubi mota Gallis;

Ardore quanto rem popularium
 Tutatus is sit: quàm benè senserit
 De veritate, & prægravatâ
 Religione, fideque priscâ:

Quantoque demum robore pectoris
 Invictus, hostes per medios viam

*Immistus Almannum caterva
 Carpsit, Allobrogum petendo
 Fines, periculi tutus. In hoc enim
 Constantia ingens ac gravitas viro
 Præfulsit usque; Et candor ille,
 Qualis apud veteres reluxit,
 Apertiori pectore præditos.
 Tu, qui familiarem intus Et incute
 Noras DONELLVM, ejusce laudes
 Ingredere, Et mihi conferendum,
 Cum Scævolis duc, cumque Papiis,
 Et Tuberonum nomine duplici.
 Dignus profectò est, quem sonora
 Tollat in astra melos Camena.*

Obiit iv die Maij antiqui Anno cIo Io xci.



EPOS MARQVARDI FREHE-
 RI I.C. ET CONSILIARII PALATINI

ERGO inter variasque vices momentaq₂ rerum,
 Nutantum, in pejusq₂ magis per fata ruentum,
 Hic simul omne genus sapientum Et lumina secli
 Auferet annus atrox, Et funere tollet acerbo

Corcula

Corcula tanta virum, ceu internecione suprema?
 Horresco memorans, & surdis me auribus esse
 Sæpe velim, quoties fata hujus & illius atra
 Rumor acerbe ferens mærore affligis amicos.
 Nam quem non tanta hæc magni jactura DONELLI
 Afficiat, Veris (quamquam non temporis illud
 Morbiferum esse solet) nova sub primordia rapti?
 Ille DONELLVS apex jamdudum & gloria Juris
 Romani occubuit: Legum Consultior omni
 Rhetore, Consultis facundior omnibus idem:
 Cujus ab eloquii gravitate, & voce magistra
 Tota pependere auditoria, multa juventus
 Imbuta est studiis legum, rebusque gerundis,
 Admota: ex quorum passim grege, gentibus unus
 Jura dat Ausoniis, Gallorum fratribus alter,
 Hi dites Rhodani populos, hi belgica frenant
 Oppida, conspicui inque foro claroque senatu.
 Quorum equidem nullum (modo si mortalibus ulla
 Durat adhuc pietas) damno haud puto tangier isto.
 Lugent ipsæ urbes, quarum sub mænibus altis,
 Sublimi è solio, juvenum densante caterva,
 Perplexos apices tractavit & ardua legum:
 Biturige veteres, Myrtorum & collis amœnus,

Lugdunumque mei velut altera patria LIPSII,
 Tuque Palacomum, cui tanti corpus alumni
 Cessit; ut haud alius sibi jam monumenta DONELLI
 Afferuisse queat, quondam ut septem Hellados urbes,
 Furgia, Meonide eterno super, aspera agentes.
 Septem adeo lustris (miretur tota canatque
 Posteritas) ac continuis has sedulus arteis
 Excoluit. Poterat tandem veteranus haberi,
 Atque quiescendi hac aetas causaria tempus
 Suadebat. Sed vicit amor legum, atque iuventa
 Haud studiis prodesse nequit: iuvat usque docendo
 Immorier. velut ille Solon, Pomponius ille,
 Qui senio extremo licet uno crure patenti
 Demersus tumba, velut ipso in limine lethi,
 Discere non renuit, subiturus doctior orcum.
 Nimirum cuneos inter turmasque animosum,
 Induperatorem stantem laus digna moriri est:
 Doctorem vero eximium in solioque sedentem
 Dogmata dictando assidue; ad vigilesque lucernas
 Scribendo properis cudenta volumina praelis.

Fata quidem matura viri, nec dura; nec illi
 Defuit aut saties annorum, aut gloria per tot
 Ingenii monumenta omnes vulgata per oras:

Gloria

*Gloria summorum non concessura vel hilum
 Splendori procerum; seu quem de cæde nefandâ
 Sorte pari profugum Germania lata recepit,
 Ante duas hiemes luxit Basilea, cadentem:
 Sive Tholosani civis, doctoris acuti,
 Qui (si certa fides fama, & quid cernimus ipsi)
 Culmine in ingenii reliquis sublimior unus
 Constitit, & Sophiam possedit mente Quiritum.
 Est aliquid, mihi crede, libros digestaque tanta
 Codicis Ausonii (heu mare vastum & fluctibus
 ingens)*

*Ipsò à principio extremi usque ad cardinis oram
 Publicitus docuisse probè, & tot millia rerum,
 Et voce & calamo passim illustrasse decenti.*

*Majorem at luctum studiorum causa bonorum,
 Poscit, communemque trahunt tua fata ruinam,
 Magne DONELLE, cui pietas sincera, & aperto
 Pectore libertas, & plena peritia rerum,
 Ac fandi gravitas, & idonea forma docendi.
 Quando parem invenient ullum similémve? sub*

hacce

*Tempora, quorari tales, & vix totidem quot
 Ausonii colles, aut ostia præpetis Istri,*

Rarius

*Rarius aut si quid. Nec enim velut omnibus annis
 Assurgit consul novus, aut proconsul eburna
 Sedis honore alto & bisseño fasce verendus:
 Sic perfectorum fit copia Consultorum,
 Annua, vel Vatum qui Phœbo digna loquantur.
 Vix singillatim tales melioribus astris
 Singula secla ferunt, inquam. Scit talia & ipse
 GENTILIS, mihi sincero dilectus amore.
 Fertur enim, quantũ vix quisquam patris aviq̃ue
 Funere turbetur, morte exequiisq̃ue colendi
 Collega ingemere, & lacrumarum fundere rivos,
 Flebilibusq̃ue modis pius illum, & carmine docto
 Consecrat, æterna cum laude per ora ferendum.
 Scilicet hunc habuit solum, cui traderet HUGO
 Lampada doctrinæ, solum quem ostendere posset
 Discipulis; quondam digito monstravit ut illum,
 Magnus Aristoteles moriens, cui dia loquendi
 Copia cognomen dedit. hunc, cum extrema valescit
 Vis morbi, & lumen vitæ dulce relinquit;
 En vultu moriente notat linguaq̃ue cadente
 Supremũ affatur, vidui tecta orba Lycæi (mistos,
 Commendans, cultusq̃ Dica, & sacra cuncta The-
 Atque in eum moriens vacui omnes pectoris efflat
 Relli-*

Reliquias. verba ille animo ceu muneris haeres
 Condit, & ex animi, si quis super halitus exit
 Ore legit, recipitq; animam. Hinc (si dicere fas est)
 Nescio quid solito gravius velut ore DONELLI
 Intonat, auctorum furis sensa intima promens,
 Et nodos legum cuneis discludit ahenis.

Macte age juridica, SCIPI, spes magna Cathedra,
 Excole Romulea studium immortale Minerva
 Impiger; ingenioque olim tibi scripta sagaci
 Ocyus absolvas rogo, nec mea vota morere
 Longius, atque tuis adsit bona Perfica caeptis.
 Tu verò ad superos celebri virtute DONELLE
 Curribus euectus fama, meliore superstes
 Parte manes. Sit terra tuis levis opto sepulchris.
 Posteritasque favens tua nomina servet ametq;



ACADEMIA ALTERRIANA.

GALLIA quem genuit, cuius Germania dotes
 Admirata fuit sapius ingenii:

Qui mihi Noricaberga tui pietate Senatus,
 Munere vel potius contigit HUGO DEI:

F

Quique

Quique Juventuti morum, virtutis, honesti
 Exemplar vivum normaque certa fuit;
 Cuius in eloquio præter grave, suave, fidele,
 Humanumque nihil corde vel ore fuit;
 Quo tanquam firmâ gaudebam læta columnâ,
 Quo fueramque foris nobilis, atque domi.
 Hunc mihi fata virum minus heu minus æqua Ju-
 Eripiunt justo præcipiente DEO: (venta
 Cuius morte meis quantum decedat alumnis
 Nominis, & nostra commoda quanta scholæ,
 Ista canant alii, meruit sic inclyta virtus
 Et pietas, meruit cura laborque viri:
 Me privata movent; studii vitæque magistro
 Destituor certo, vel mage patre bono.

CAROLVS NÜTZEL.

*Epitaphium*

HUGONIS DONELLI, IV-
 risconsulti celeberrimi.

HAc quicumque cito transis pede fortè viator
 Siste gradû, & tacitè hæc paucula metra lege.

Hoc

Hoc rogo te, placidâ compostus morte, sub ista
 Qui cubo Burgundus HUGO DONELLVS
 humo.

GALLIA me genuit, Sophiaque fideliter arteis,
 Et docuit linguas ritè sonare duas.
 Jus tamen & sanctas eadem me discere leges
 Precipue, & Latii tempora prisca fori,
 A puero, voluit. Patriis crudeliter arvis
 Dehinc pulsum, blando Teutonius ora sinu,
 Et totum excepit clara HEIDELBERGA per orbem,
 Suppeditans studiis otia grata meis;
 Hinc ad se, fortes me arcessivè BATAVI,
 LEIDA ubi præpingui floret amœna solo.
 Teutonici inde vocat regni me pulcher ocellus,
 Consilio, arte, opibus NORICABERGA potens,
 Ut, quâ stat doctis ALTORFIA sacra deabus,
 Romani tradam civica jura fori.
 Sic jus ter denos docui & bis quinque per annos,
 Et fuit hic vitæ cursus & ordo mea.
 Nunc tenet exsuviâ tenuis ALTORFIA nostri
 Corporis, & gremio claudit amica suo.
 His licet haud vivam terris; super astra beatus
 Parte tamen vivo nobiliore meâ.

*Qui legis hæc, ut cum CHRISTO super astrabeatus
Aeternum vivas, hîc benè disce mori.*

Decessit ALTORFII NORICORVM,
IV. Non. Majas, ætatis suæ anno LXVIII.
CHRISTI CLIO XCI.

Heidelbergæ faciebat Lambertus Ludolfus Pi-
thopæus, Daventriensis, prid. Nonas
Junias, Anno eodem.



Epigramma,

DE FRANCISCO HOTOMA-
NO ET HVGONE DONELLO IC.^{tis}
Clarissimis, piè defunctis.

IUSTICIÆ decus Hotmanum prior abstulit annus,
Rhenus sollicitis atque Lemanus aquis
Ingemuit; Præsens Donellum hic abstulit annus,
Pegnessus querulis fluctibus ingemuit.
Clarus uterque senex, & juris uterque sacerdos;
Ob veram constans exul uterque fidem.
Indiget et seclis utrumque juventa futuris,
Et memorem laudem fama loquatur anus.

Posteri-

*Posteritas quidquid sciet olim in fure Quirinum,
Acceptum tantis id ferat omne viris.
Aeternum salвете, anima, aeternumque valete,
Gloria divinis non inhonora choris.*

Moritur (HOTOMANVS 5. Feb. 1590.
DONELLVS 4. Maij. 1591.

IOHAN. STAMLER I.V.D.



DONELLVS LOQVITVR.

Εἰ μὴ ΔόνεΜΘ ἐγὼ Γαλατίας, ἔ τύμβον ἐσταθρεῖς
 ἔεινε, δεμισοπόλις γνάριμος ἠϊθέοις
 Ἐνθαπίοισ τε καὶ ἀΜοδαπίοις, τοῖ μ' ἴσα πίεσιον
 Κριτικῶ, θεῖας εἴνενα δεμισοσύνης:
 Ἐεινεα δ' εὐσεβίης πάλυ πλέον ἠπὲρ ἐκείνον,
 Βασιανίης ἀπερ εἰ χῆ μεγαληγορέειν.
 Λυγρὸς ἀρης, πατρίδος γαίης ἐμὲ ἔζελοσασκε,
 Θυμὸν ἀλενομλνον καὶ χερας ἀνδροφόνων,
 Ὅπποτ' ἐπασιύπεραι κατὰ δώματα ἢ κατ' ἀγυῖας
 Εσφάζοντο βροτῶν ἑνδεκα μυριάδων,
 Θυέ τε πᾶν δάπεδον λύθρωτε καὶ αἵματι. ΤοῖΘ
 Ἀνδράποδ' εἰδῶλον οἴστρος ἔλεσκε φόνον.
 Δέκτο δ' ἐμὲ πρόσφρων, Πανοεῖς, κλεινὸν ἠολιέθρον,
 Κοινὸν ἄσυλον αἰεὶ ὀρθοφρόνων φυγάδων.
 Ἐνθα νόμουστε δηκίωτε νέος ἐπέεσι διαδέξας
 Ἐπῆα, σιῆπῆρ' ἀέκων γυμνασίῃ λαβόμεν.
 Ταῦτα δ' ἐκὼν παραδύς, φυγέειν πάλιν ἠβελήθην,
 Δόγμασιν ἢ βδελυροῖς αἰχρὰ σιμηγορέειν.
 Τῶνεκα Λύγδονομ Βαταβειανὸν ἠλυθον ἄσυ
 Ὅς δέμιδος πρόμος ὦν καὶ φίλος ἑνσεβίης.

Καίθι δὲ ἐξ ἀνίστασ' ὀνοματ' ἔτινα βλάπτωμ,
 Μάλομ δ' ὠφελέωμ καὶ δὴ δύναμιν πολέας,
 Νωρικὸν ἐκλήθλω ἐς ἀγρόν, νεαρόντε λύκειον,
 Συγκλήτῃ βολῆς σεμνοτάτης σαπείνας.
 Ἐνταυθαῖ δόξης κωροεσμίον ἠδὲ βίοιο,
 Ἐξέπνθουσα, πῶθω βλήμιν ἔρανώωμ,
 Φρεσὶ φυλαξάμιν ἔπίσιν τε σιωαῖδῃσιν τε
 καλήμ, ἔτε λαχὼν κληδὸν ἄρτασίαις.

Simon Stenius Lomacensis.



Epitaphium

PRÆSTANTISSIMI VIRI, D.
 HUGONIS DONELLI I. V. DOCTO-
 RIS IN ALTORPHINA NORIBER-
 gensium Academia celeberrimi,
 scriptum Autore

GEORGIO MAURICIO NORIBERGENSI.

*Q*ui jura & leges colui docuique fideli,
 Quo licuit studio, dexteritate, fide:
 Qui pia consiliis juvi studia, atque labores,
 Clarus honorati Doctor in arte fori.
 Ut mihi testis erit Biturix, Aurelia dives,
 Cum Nicro Batavus, Noridos urbsque potens:
 Hæc

*Hæc cubo post mortem Donellus suaviter urnâ:
 Corpus habet tellus: spiritus astra subit.
 Annorum satur excessi, terrasque perosus.
 A cælo pendens mens mea semper erat.
 Dum tandem pater omnipotens in vota vocatus
 Exilio ereptum duxit ad astra poli.
 Vivite quisque memor lethi, vitæque futura,
 Latus ego expecto vos Abrahæ in gremio.*



**HUGONI DONELLO IVRE-
 CONSULTO, VIRO CLARISSIMO
 MORTUO.**

*GALLIA te genuit docuitque, eademque docentem
 Sacra diu vidit fura, Donelle, fori.
 Audiit umbrosis in vallibus HAIDELBERGA
 Urbs dilecta DEO, & Calliopæa tibi.
 Ingenii vires & opes flumenque capacis
 Admirans stupuit Belgica Leida tui.
 Tandem, ubi fata vocant, ad Norica rura profe-
 Dum licuit, pergis laude docere pari. etus
 Iactat doctores prior atque vetustior atas
 Quos tenuit, Iuris lumina, quosve tulit.*

Hos

Hos inter primi sunt, Azo, Accursius, Abbas,
 Bartholus & Baldus, tuque Philippe Deci,
 Atque alii plures, quorum vel nomina sola
 Sollicitos cernas pertimuisse reos.

Sed velut exoriens cum pleno lumine Luna
 Exsuperat nitidi sidera cuncta poli,
 Utque eadem, quamvis sit formosissima, Fratri
 Cedit, ubi medium jam tenet altus iter:

Sic divina illos longè supereminet omnes
 Ingenii virtus dexteritasque tui.

Nam cur vera negem, & toti notissima mundo?
 Ipse licet livor se viat, & pereat.

Tot testes, tot scripta fidem facientia certam,
 Quot cælum stellas continet, esse reor.

Ergo, ubi Diva Themis vidit tua lumina claudi,
 Flevit, & hac tristi pectore verba dedit:

O lux, ô columen, moreris cur tempore tali,
 Quo postliminio restituenda fui?

Nam multos vagor indignè tractata per annos,
 Divaque vix homini damna ferenda fero,
 Et spes sola mihi fuit in te vindice: sed nunc
 Irrita, cum moreris, proh dolor, omnis abit.

Epitaphium

HUGONIS DONELLI IVRE-
CONSULTI, VIRI CLARISSIMI.

Οὗτος ὁ μὲν τύμβος λιτὸς πελεν, ὧ̄ παροδίτα,
 Ἄμ' ἀνδρὸς μεγάλα ὄστ' ἀ κλεινὰ ἔχει.
 Ἄγνώσεις τίος ἐσι; Δονέμης, ἄκ'ρα φέροντος
 Τῆς ἀρετῆς, σοφίης, ἀσπονίωντε νόμων.
 Πάνεο δακρυχέων. πόνων μόρος ἔνεκαρ ἀνδρῶν.
 Ἐισοδος εἰς ζωὴν αἰδίου τελέθει.
 Ἐἰς εἰκόνα Δονέμης.
 Ἦνορέη μὲν κῦδος ἀθέσφατον ἔμαχευ Ἐκτωρ,
 Δημήτηρ σαλύεσι, χαλκίφρων βοτρυσὶ Βάκχος,
 Ἡρακλῆος μόχθοις βαρυντήμοσι δωδεκίεθλος,
 Δίος Ἀεισπέλης πολυϊσθρέησι νόοιο,
 Ἀλλοίη Νιρβὸς αὐτοῖς μακίφρεοσιρ ἔφακε,
 Ἠδυλαίω γλώσση Νέστωρ. ὁδὲ χῖος αἰοῖδος
 Ἐυεπίη κόσμησεμ ἐὴρ ἠρωῖδι πάτερη.
 Ἄμ' ἀρετῆς, σοφίητε δικαστολός, ἔξοχα πάντων,
 Ἐυσεβίητε Δονέμῳ αἰοῖδιμος ἐν μερόπεσι
 σίλβει, ὡς φαέθων ὁ φαεσφόρος ἠμάλι μείσφ.

Richardus Hemelius
Regiocurianus Francus.

ΘΡΗΝΟΣΙΝ FVNERE V. CL. D.
HUGONIS DONELLI, I.C.ii
præstantissimi.

FVNERA si deflet meritò pia filia matris:
 Si luctum in patris funere natus agit:
 Pulvere sædatos lacera schola mæsta capillos,
 Noriaci tempe qua colis alma soli.

G

Ille

Ille tuus pater, heu! magnus pietate DONELLVS
 Occidit, & gelidà est contumulatus humo.
 Occidit, atque sui tantum tibi liquit amorem,
 At florem secum, qui fuit ante, tulit.
 Mæror ades, lacrymisq; novis nova suffice ver-
 O ades, & tristi suggere verba mihi: (ba,
 Arida cui querulis jam vox in faucibus hæret,
 In medioque cadit lingua repentè sono.
 Eheu! Quis lacrymis hunc tantum equare dolorem,
 Aut possit digno solvere iusta modo?
 Occidit, ah, nostri spes una & gloria secli,
 Sed mage spes nostræ concidit una scholæ.
 Sacra justiciæ & Themidos sacer ille sacerdos
 Ad CHRISTVM in cælos HUGO DONELLVS, abit.
 Hunc certè videt, & se mundi à crimine raptum,
 Justitiæ veræ gaudet habere bona.
 At nos in vario cunctarum turbine rerum,
 Quàm citò deficimur te, tua turba, patre? (caro
 Quàm cito Magne DONELLE caret schola Norica
 Te patre, & in luctus solvitur ægra graves!
 Te ductore carens juris studiosa Iuventus,
 Per saltus legum & devia saxa ruit.
 Non aliter quàm si certo spoliata magistro,
 Cyma per Eoas rupta feratur aquas: Aut

*Aut velut incertum vero pastore relicto,
 Balantum planos agmen oberrat agros.
 O nimium nobis obitu prærepte citato!
 O nimium cunctis ô citò rapte bonis!
 O nostris nimium nimium fata invida rebus,
 Per quæ tam subito est mors properata tibi!
 At tu Nestoreos vivendo attingere menses,
 Cumæ aut vatis secula, dignus eras.
 Si pietatis honos, doctrinæ gloria pulcræ,
 Merces virtutis, secula multa forent:
 Vitam nunc ageres, & per te docta Juventus,
 Sacrum nunc posset discere Juris opus.
 Quod si cunctorum pariter cita fata rotantur,
 Si pariter cunctos Parca severa rapit:
 Quid juvat ingenuas didicisse fideliter arteis?
 Quid juga Parnassi scandere celsa juvat?
 Volvere quid leges, iterumque revolvere leges?
 Quid vario Juris fonte levare sitim?
 Quid mores hominum, multas vidisse quid urbes?
 Quid superare juvat mille pericla via?
 Seu quæ Celtarum Belgas disjungit ab arvis
 Sequana, quem sociis Matrona lambit aquis;*

Seu quàm Castalios saltus, & amœna vireta
 Præterit irriguâ Nicer amœnus aquâ;
 Seu pater Oceanus terras quàm turbidus ambit,
 Et rapit in gremium flumina cuncta suum.
 Cuncta hæc & juveni atq; seni sunt visa Donello,
 Cuncta illi mortis quæ tulit una dies.
 Crudelis Lachesis, quæ multo parta labore,
 Eripere indignâ tam citò morte potes!
 Nam quis te immeritò accuset, quæ plurima brutis
 Stamina producis liberiore modo?
 Ast homo quàm miserè cadit ipso in flore juventa,
 Ut flos in pratis sole calente cadit:
 Sapè, cui vitæ spes est, longissima posse
 In spacia ire, ipso in limine Parca sedet.
 Sic & tu, cum te victurum secula cervi
 Spes erat, (heu lacrymæ!) Magne DONELLE
 cadis!
 Nec tua vel pietas, vel morum gratia summa
 Parcarum potuit flectere progeniem.
 Sed quid Parca profana meis se versibus infert?
 Lex naturæ obitus omnibus una tulit.
 Huic quævis matura ætas est, qualibet hora:
 Hæc cuicumque venit, non aliena venit.

Illi autem sine fraude venit, cui vivere sanctè

Cura fuit, vita tempus ad omne sua. (mnis:

Hunc nec Parca nocens, nec Lethe absorpserit o-

Ague obitu hunc demum vita beata manet.

Hunc facit ipsa etiam post funera vivere virtus,

Cetera post mortem turba perennè latet.

Magne DONELLE, tuæ pietatis premia CHRISTVS

Haud dubiè superos inter habenda dedit:

Et fatis cessisti, ut sis novus hospes Olympi,

Aeterna dignus conditione poli.

Morte nihilq; tibi nocitum est. Sed gloria parta

Vera illa, ad quam sunt cetera cuncta nihil.

Adde quod in terris nobis eris usque superstes

Virtutis merito justiciæque tuæ.

Vivet honos nomenq; tuum, dum gramina campus,

Aer dum volucres, amnis habebit aquas.

Intere à luctus quæ plenus carmina promsi,

Accipe pro meritis care patrone tuis.

Quàm vellem grates alià ratione referre!

Nunc tamen officium sentiat urna pium.

Salve sancte senex, semper dignissime vitæ,

Salvè perpetuum, perpetuumque vale.

Patrono, præceptori suo omni observantiâ
colendo, animo sanè mœstissimo F.

LYDOVICVS IOACH. F. CAMERARIVS

A L I V D.

Si quis erat sanctæ & verus pietatis amator;

A solo pendens speque fideque DEO:

Si quis pacis amans: prudenti mente: sacerdos

Iustitia: fortis: sobrius: atque bonus:

Si quis erat reliquis instructus ab artibus: illis:

Unde regi poterant curia: templa: schola:

Si quis erat meritò cunctorum dignus amore;

Quem dicam expectas? HUGO DONELLUS erat.

Iohan. Truncius Borussus.

Hisce Epitaphijs adijcere visum est etiam illa, quæ ab amicis conscripta sunt, in tristissimū obitū Excellentissimi & Clarissimi Domini D. Georgij Palmæ, qui in hac celebri Repub. & alibi fideliter & magno successu artem Medicam exercuit, & eodem ferè tempore, quo D. Donellus, familiariter ei notus, placidè & in verâ fide & confessione mortuus est. 20. die Aprilis Anno CHRISTI 1591.

ERgône qui vitam reliquis proferre GEORGI
PALM poteras: animâ diffugiente jaces?

Hicne jaces alios qui pulsâ morte tueri,

Et quod vis poteras sepè fugare malum?

Ne

*N*e mirare. Meis agitata laboribus omnes
Mors in me vires contulit atra suas.

Nicolaus Taurellus Medicus.

Epitaphium

D. GEORGII PALMÆ MEDI-
CI PRÆSTANTISSIMI.

HAc sub mole jaces, Doctissime PALMA GEORGI,
Delicium Phœbi Thespiadumq; decus;

Quo nemo utiliùs medicatas miscuit herbas,

Quo placitis nemo clarior Hippócratis.

Hinc quoq; post mortem (solitum contingere paucis)

Inclyta victura nomina laudis habes.

Te moriente gemit Phœbus Clariaque sorores,

Et titulos cultâ quotquot ab arte gerunt.

Mœsta gemit thalami socia, Ad finisq; propinquus

Quem patria indigetat Norica turba Patrem.

Quin & amicorum mœret venerabilis ordo,

Qui vivum obsequiis te coluere suis.

Sed quia fas Domino è terris parère vocanti,

(Arbitria CHRISTI vivimus & morimur)

Luctibus haud nimiù indulgent, statuitq; querelis

Et lacrymis Pietas officiosa modum.

Inspergunt violas tumulo, tenerasq; cupressos,

Et cineri mollem quisque precatur humum.

Salve,

*Salve, PALMA, valeq̄, choris anima addita sanctis,
Salve perpetuum, perpetuumque vale.*

Nascitur 1543 anno. 27. Februarij.
Denascitur 1591 anno. 20. Aprilis.

IOAN. STAMLER D.

E P I T A P H I U M C L A R I S S I M I E T

integerrimi viri D. GEORGII PALMÆ, Artis Medicæ Doctō-
ris eximii, 20. Aprilis die, piè in CHRISTO defuncti.

ERGO Palma jaces? at non tua fama jacebit:
Fama per æternos non moritura dies.
Antè quidem claro gaudebas nomine Palma,
Sed tibi post mortem florida Palma venit.
Dum CHRISTVM sequeris victorem, Ebræa juven-
Pectore cui palmas exiliente tulit. (tus,
Nec cessisti oneri, cum cedere nesciat illa,
Quin contrà insurgens, hoc Duce, victor eras.
Quippe fide in CHRISTVM clausisti fata, nec ultrà
In te quid juris spicula mortis habent.
Quod fuerat terra, ad tempus jam terra recondit,
Vivat at in cælo Spiritus ante DEVM. (PALMA
Salve Abrahæ in gremio recubans, Salve optime
Fulgens luce novâ: salve, iterumq̄ vale.

Georgius Mauricius Noriberg. Stiræ in Austria F.